[illegible] nostre paginam conscribi [illegible]

dampnum vel iacturam ipsum monasterium vel fratres sustineant
vel eis inferantur. Sed sufficiat cuique si ipsius monasterii studiis tam
locus ipsum tale sacramentum fuerit subire paratus non obstante
aliqua lege vel constitutione vel aliquo alio iure neque obstante ali-
qua consuetudine que nunc sit vel pro tempore fuerit. Eodem mo-
do precipimus observari ut constitutiones civitatum vel castello-
rum seu aliorum quorumlibet personarum vel locorum non
debeant in aliquo facere preiudicium institutionibus ipsius monaste-
rii competentibus. Et quia fratres ibidem Deo sub monastica pro-
fessione famulantes communem vitam agentes de aliorum elemo-
sinis vivere oportet ac beneficiis constituimus ut de laboribus
quos fratres eiusdem monasterii propriis manibus aut sumpti-
bus excolunt atque de animalibus que nutriunt nullus ab
eis decimas exigat sicut per privilegia summorum pontificum
est eis indultum. Concedimus etiam ut quicumque terras suas
vel res suas eis donare vendere seu aliquo alio modo conferre
re voluerit dandi vendendi seu commutandi liberam habeant
potestatem dummodo iuste et rationabiliter fiat. Istud etiam
imperiali clementie supradictis adicientes ut memoratum
monasterium cum eiusdem fratribus et familia universa a
duello faciendo per campionem vel alio modo debeat in per-
petuum liberari et absolutum pacifice conservari. Ad hec pre-
dictum monasterium ab omnibus exactionibus et collectis
conditiis vel aliis servitiis et gravaminibus et statutis civi-
tatum et potestatum vel quorumlibet aliorum locorum
imperiali auctoritate liberum et absolutum precipimus ab
omnibus inviolabiliter omni tempore observari salva in
omnibus imperiali iustitia. Statuentes et firmiter precipien-
tes ut de cetero nullus Archiepiscopus non Episcopus non dux
nullus marchio non comes non vicecomes. nullus capitaneus
aut aliquis castaldio nulla civitas non potestas sive consules
nullaque persona secularis vel ecclesiastica magna sive par-
va

va predictum monasterium sancte Marie Claravallis et eiusdem
Abbatem et suos fratres in bonis et possessionibus suis molestare vel
inquietare aut divestire sine legali iudicio presumat. Si quis vero hu-
ius nostre auctoritatis edictum violare presumpserit triginta libras
auri puri se pro pena cognoverit compositurum dimidium fisco
nostro et dimidium monasterio memorato. Ut autem hoc verius
credatur et ab omnibus inviolabiliter observetur presentem pa-
ginam inde conscribi et sigillo imperialis maiestatis iussimus
communiri. Huius rei testes fuerunt Volfgerus patriarca Aquile-
gensis et Lotharius Pisanus archiepiscopus Henricus Mantuanus
episcopus imperialis aule vicarius. Guillelmus Cumanus episco-
pus. Bernardus Papiensis episcopus. Albertus Laudensis episcopus.
Guillelmus prepositus Aquensis. Emicho comes de Liningen. Hart-
mannus comes de Wertemberg [illegible] de Trevisio Salinguerra de
Ferraria. Passaguerra monachus de Villa. Rufinus et Albertus Sen-
sus imperialis curie iudices.

Signum Domini Ottonis Quarti Romanorum Imperatoris



Invictissimi

Ego Chonradus Spirensis Ecclesie episcopus imperialis aule
cancellarius vice Dni Theoderici Colonien. Archiepiscopi Italie
Archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnationis MCCX Indictione
tertia decima. Regnante Dno Ottone quarto Romanorum Impe-
ratore glorioso anno regni eius XII. Imperii vero primo.

Datum apud Laudam per manum Walterii prothonotarii
primo die intrante mense madii. Indictione XIII.